

Band IV., Nr. 1124, Seite 188-189

Dekan und Kapitel des Stifts Speyer überlassen den ihnen von dem erwählten Bischofe Heinrich mit päpstlicher Genehmigung abgetretenen Anteil an den Einkünften der Kirche in Ketsch und der Kapelle in Öwisheim dem Kloster Maulbronn und verpflichten sich, den Ketscher Forst auf gemeinschaftliche Kosten und zu ihrem und des Klosters gemeinschaftlichem Nutzen zu verwalten.

Speyer, zum hl. Germanus, 1249. Februar 1.

Universis Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis G. decanus totumque capitulum maioris ecclesie Spirensis salutem in eo qui salus est omnium et salvator. Cum monasterium de Mulbrunne Cysterkiensis ordinis de ecclesie nostre gremio pullularit et a nobis sue fundacionis prima suscepit fundamenta, videtur consentaneum rationi et congruum pietati, quod nos tamquam mater in filia de profectibus fratrum eiusdem monasterii gaudeamus et eorum molestias et iacturas, cum ad ubera nostre consolacionis recurrerint, maternelis compassionis visceribus in quantum valuerimus supportemus. Sane licet eiusdem monasterii generosa plantacio multe religionis et honestatis flores et fructus protulerit effuso longe lateque laudabilis conversacionis odore, tamen propter discidium inter Romanam ecclesiam et brachium seculare ad tam miserabilem devenisse dinoscitur egestatem, ut^a, nisi per manum celeris subvencionis succurratur eidem, quod in spiritalibus et temporalibus, quibus hactenus floruit eleganter, irremediabilis iacture senciēt detrimentum nec umquam adiciet, ut resurgat. Nos itaque benigno favore fratrum monasterii prelibati salutifera commoda prosequentes et intendentes propensius, ne sustentacionis humane subsidio destituti sancte conversacionis eorum ocium perturbetur et in eorum monasterio divine laudis organa suspendantur, dimidiam partem proventuum parrochialis ecclesie de Ketsch et capelle de Auweszheim¹ per manum reverendi patris nostri domini H., Spirensis electi et imperialis aule cancellarii, pia liberalitate nostris usibus concessorum, sicut super hoc plenam accepit a summo pontifice facultatem, consensu nichilominus archidyaconi locorum expressius accedente, predictis fratribus ad sue peregrinacionis viaticum augmentandum libere et absolute imperpetuum elargimur. Preterea memorie commendandum, quod forestum quod dicitur *Ketscherforst* nos et fratres monasterii memorati, cum

^aIn diesem und dem folgenden Satz scheint die vorliegende Abschrift fehlerhaft zu sein.

¹Oberöwishaim.

II

ad nos et ad ipsos iusto tytulo empcionis descenderit, communibus sumptibus et expensis debemus excolere, donec per divinam providenciam atque nostri laboris industriam ad culturam debitam et fructuosam redactum nostris et ipsorum fratrum possit laboribus per sue refusionis iocundum antidotum respondere; cum vero tempus percepcionis fructuum advenerit, ipsos fructus inter nos equis porcionibus inperpetuum dividemus. Omnes igitur cuiuscunque professionis seu layci fuerint sive clerici, qui abbatem et conventum de Mulinbrunne super premissis infestare presumpserint vel gravare, omnipotentis dei et piissime matris sue Marie necnon et omnium sanctorum indignacionem perpetuam incurrisse et in laqueum excommunicacionis maioris per reverendum patrem nostrum dominum Spirenses electum iam late se noverint incidisse. Ut autem hec robor optineant perpetue firmitatis, sigilla reverendi patris nostri domini H., Spirensis electi, imperialis aule cancellarii, trium conventualium ecclesiarum Spirensium, videlicet sancti Germani, sancti Wydonis, sancte trinitatis, et prepositorum earundem, nostri capituli atque nostri prepositi presenti pagine sunt appensa. Testes huius rei sunt: Bertholdus prepositus maior, G. decanus, G. sancti Germani prepositus, magister Adeluolcus, scolasticus et sancte trinitatis prepositus, V. de Stauphe, W. de Hornecke, E. portarius, D. cellerarius, Otto de Bruchsella, canonici Spirenses et alii quam plures.

Acta sunt hec apud sanctum Germanum extra muros civitatis Spirensis, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo nono, kalendis Februarii.

—

Dem Textabdruck liegt die Abschrift im *Liber Obligationum* des Stifts Speyer, Bd. 1, fol. 162 a, im GLA Karlsruhe zugrunde.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

GLA Karlsruhe

Signatur/Titel des Originals:

67/449 fol. 162 r und v

Editionen:

UB Bischöfe Speyer, Bd. 1, S. 240, Nr. 257.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Speyer, zum hl. Germanus

Aussteller:

Speyer; Dekan des Stifts Speyer; Kapitel des Stifts

Ortsindex:

Bruchsal Wohnplatz (5319)

Bruchsal, KA

Ketsch Wohnplatz (6376)

Ketsch, HD

Maulbronn Wohnplatz (7043)

Maulbronn, PF

Oberöwisheim Wohnplatz (5520)

Oberöwisheim, Kraichtal, KA

Rom, Latium, Italien

Schloss Horneck : Gundelsheim HN

Schloss Horneck Wohnplatz (1981)

Speyer, SP

Stauf, Eisenberg, KIB